



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XLII. De Duello.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155

hoc persuadens est, perturbatio rationis ex perfecta ebrietate inducta: hæc enim cum perfectum, & ad graviter peccandum necessarium rationis usum, si non omnino auferat, ita tamen debilitat, ut malitiam blasphemiarum perfecte non apprehende-

rit. Sicut igitur nimia ad certum aliud quoddam objectum distractio plenam ad illa, quæ tunc agimus, advertentiam diminuit, ac perfectum consensum tollit, ita non minus ebrietas, si non magis perfectum voluntarium diminuit.



Casus XLII.

De Duello.

Duo Prænobiles ex condito ad certum locum conveniunt, & assistentibus patrinis digladiantur: finito duellò unus illorum, cum gladium in vaginam reconderet, à suo corivali transfossus, interiit, in ipso loco fatalis congressus.

Quær. 1. Utrum tam duellantes quàm patrini incurrerint excommunicationem?

Quær. 2. Utrum occisus gaudeat sepulturâ Ecclesiasticâ?

Quær. 3. An quidam Religiosi absolvere ab hac excommunicatione reservata possint?

Synopsis.

§. I.

Resolvitur primum
Quæsitum.

Utrum tam duellantes, quàm patrini incurrant excommunicationem?

1. Ex digladiatione una est juridicè dictum duellum: alia duntaxat rixa.
2. Debet esse pugna numero parium.

3. In-

duellum, alia duntaxat rixa. Illa est singularis pugna duorum, vel plurium ex condicō inter se suscepta cum vitæ aut mutilationis periculo. Ita ex Hostiensi refert König de Clericis pugnantibus in duello.

2 Debet igitur esse pugna parium in numero, ut, cum duo v. g. pugnant contra duos: tres contra tres &c. unde aliqui volunt, duellum propriè intercedere inter unum & unum, quamvis etiam duellum vocemus, si duo cum duobus, tres cum tribus congregiantur.

3 Duellum insuper debet esse pugna periculosa ratione mortis, quæ timeri possit, vel mutilationis. Filliucius, Bonac. & alii etiam addunt ratione vulnerum, quæ scilicet sint periculosa, & gravia in tantum, ut ex illis vel ipsa mors, vel mutilatio, grave damnum, & indispositio corporis, debilitas, inutilitas membri sequi possit.

4 Præter autem modò allatas condiciones insuper requiritur, ut ex condicō pugnetur, sive pacto mutuo, adeoque adsit utriusque partis consensus: unde, si absque ullo pacto subito pro-

vocatus compareat, nullum duellum erit.

Item debet pugnari deliberatè, ac frigido, ut ajunt, sanguine, non autem ex calore iracundiæ, hinc aliquod tempus inter primas tricas, quibus durantibus condicōtum est, & ipsum duellū debet necessariò intercedere.

Quantum autem hoc tempus intermedium debeat esse, inter se non conveniunt Theologi: aliqui judicant sufficere illam moram, dum aliquis affert gladium, ex urbe egreditur in campos, expectat socium &c. Alii cum Jacobo Marchantio in Candelabro suo hoc tempus laxiùs accipiunt, qui calorem iracundiæ agnoscit, quando ea iradurat, & continuatur ad ipsum duelli actum, neque ulla alia re interrumpitur, quàm præparatione ad pugnam. Talis alia actio esset somnus, vel alia avertens ab ira animum, & aliquanto tempore sopiens.

Denique, ut certus assignetur locus, tempus, saltem in confuso, v. g. in campo, cras, manè &c. Hæ condiciones, si adsint, veri nominis duellum, si absit una, rixa tantummodo erit.

Duel-

8 Duellum igitur his circumstantiis instructum dividitur in solenne, ac in privatum; Solenne ex mente DD. præter enumeratas etiam sequentes expoſtulat. Primò. Ut per chartam, quam vocant manifestum, sive, diffidationem pugna indicetur. Secundò. Ut fiat delectus patrinorum ex utraque parte. Tertio Sociorum. Quartò. Determinatio armorum, an velint gladiis congregari, vel sclopiis, pedites, aut equites, punctim, vel cæsim: ubi hæ conditiones, vel saltem pleræque ex his conveniunt, duellum solenne committetur. Non solenne, vel privatum, quod his conditionibus, aut plerisque caret.

9 Haftenus essentiam, vel proprietates duelli attulimus, nunc de prohibitione illius agendum. Et Jure Canonico quidem prohibitum duellum legimus. *cap. Monomachiam. can. 2. q. 5. & tit. de Clericis pugnantis in duello. Civili verò. Leg. unica. Cod. de gladiatoribus. omnino gladiatores esse prohibemus.* Quadruplices igitur constitutiones habentur, quæ excommunicationem in duellantes statuerunt. Prima est Pii

IV. Clementis, & aliorum ante Tridentinum pro sola Italia. Secunda est Tridentini *Sess. 24. c. 19. de Reform.* & procedit de duellis solemnibus. Tertia Gregorii XIII. quæ ad privata quoque duella dispositionem Tridentini, & pro universa Ecclesia extendit. Quarta denique ac severissima est Clementis Octavi, quæ non tantum ad duella privata se extendit, sed casum etiam Pontifici reservatum facit his verbis: *cujus excommunicationis absolutionem ab alio, quam à nobis nequeant obtinere, etiam prætextu quorumcunque privilegiorum, indulgentiarum &c.* His accedit Alexander VII. sub peccato mortali, & excommunicatione prohibens hanc numero secundam propositionem. *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam incurrat.*

Quin imò etiam ipso jure naturali illicitum duellum esse nonnulli Authores contendunt. Ratio illorum est, acceptans duellum exponit se periculo tam amittendæ vitæ propriæ, quam profundendæ alienæ, congregantis scilicet: sed istud utrum-

que jure naturæ prohibetur : ergo &c. Prob. min. jure naturæ est prohibitum privata auctoritate præbere se occidendum alteri : ergo etiam est prohibitum acceptare periculum proximum occisionis, aut mutilationis. Probatur conseq. eandem malitiam contrahit periculum proximum actionis peccaminosæ, quàm continet ipsa actio peccaminosa : ergo &c.

Prob. 2. Conservatio honoris, & existimationis non sufficit, ut acceptatio duelli sit licita. Probatur. hæc jactura honoris, existimationis, aut famæ non est sufficiens, ut exponat se aliquis periculo amittendi propriam vitam, quia, si etiam transmittamus adesse aliquam jacturam honoris, aut famæ, jactura ista facillimè aliis mediis reparari poterit ; hæc denique, etsi deficient, jactura tamen tantilla famæ neutiquam licitam efficit duelli acceptationem, cum vita propria sit longè æstimabilior.

11 Ex his videtur facilè deduci posse, duellantes nostros incurrisse excommunicationem : si enim ponamus fuisse solenne, clarum est, quòd eam ex disposi-

tione Tridentini loco citato incurrerint : si privatum, & non solenne fuisse asserimus, vigeant constitutiones Gregorii XIII, & Clementis VIII, extendentis latam in solenniter duellantes constitutionem ad privata duella. His non obstantibus.

Dico 1. Quantum ex relatione circumstantiarum, in quibus duellârunt, desumitur pugna ista non fuerat solennis nec habebat omnes ad solennitatem requisitas condiciones. Prob. inter alias etiam requiritur, ut fiant per chartam, seu manifestum, & diffidationem provocatio pugnæ, nec non acceptatio : atqui non constat, quòd talis per chartam provocatio ad pugnam intercesserit : ergo &c.

Dico 2. Probabilius duellantes nostri non incurrerunt excommunicationem. Probatur. Probabilius in nostra Germania excommunicatio afficit solos solenniter duellantes : ergo cum juxta priorem conclusionem duellum non fuerit solenne, non incurrerunt excommunicationem. Prob. anteced. prædictæ Bullæ Gregorii XIII, & Clementis VIII. in quantum excommunicationem

nem à Tridentino latam extendunt ad duella privata non sunt receptæ. Ita testatur Layman. *lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 5. num. ult.* Hoc ipsum etiam defendit Pyrrhing *de Clericis pugnantis in duello.*

Secundò. Si fuissent quoad hoc debito modo promulgatæ, atque receptæ, tunc non solum duellantes, sed Magistratus quoque civilis non puniens ejusmodi duellantes incurrerent excommunicationem vi prædictarum Bullarum: atqui nullus circa hoc facit sibi scrupulum: ergo &c.

Confirm. Episcopi constituti à Pontifice fuerunt, ut executores Papalium Constitutionum: ergo istarum executionem deberent urgere, ac procurare: ergo, cum executionem harum Bullarum non urgeant, optimè infertur, easdem non debito modo esse promulgatas, vel receptas, aut contraria desuetudine abrogatas.

Confirm. 2. Juxta constitutiones Pii IV. Gregorii XIII. & Clementis VIII. inter alias pœnas spirituales est etiam interdictum pro locis, in quibus sci-

entibus Dominis initum est duellum: atqui hæc pœna de facto non incurritur, vel saltem nullus judicat illam fuisse incursum: ergo &c.

Tertiò. Cum paucissimis constet excommunicationem etiam latæ sententiæ latam in duellantes etiam non solenniter, decretam fuisse, hinc probabilissimè hujus legis omnino ignari fuerunt: ergo cum nulla censura, nisi à contumace incuratur, ignarus autem latæ censuræ non sit contumax, ideo probabilissimè non incurrerunt hanc excommunicationem.

Confirm. Potuerunt quidem habitualiter scivisse legem statuentem duellantibus pro pœna excommunicationem, ut tamen tunc actu ad illam se non reflexerint: ergo adhuc non incurrerunt excommunicationem.

Ex allatis nostris probationibus etiam soluta manet ab adversariis contra nostram conclusionem objectio. Quæ enim ex ipsis duellantibus retulimus, etiam de patrinis intelligi possunt. Gregorius enim XIII. expressè etiam excommunicavit patrinos. Verba illi-

illius sunt: *Spectatores ex composito.* atqui patrini vel maximè spectarunt ex composito: ergo &c.

§. II.

Resolvitur secundum

Quæsitum.

Utrum occisus gaudeat sepulturâ Ecclesiasticâ.

Dico: occisum in hoc duello probabiliùs non esse spoliandum sepulturâ Ecclesiasticâ ob commissum duellum, & incurfam ex hoc excommunicationem.

Prob. 1. membr. antec. juxta resolutionem ad prius quæsitum probabiliùs omnino non fuit excommunicatus: ergo &c. Prob. conseq. in dubio, & multò magis, quando probabiliùs est, delictum non fuisse commissum, non est aliquis spoliandus suo jure, & reus in tali casu est absolvendus: ergo &c.

Num autem sacra gleba gaudeat, quia in peccato mortali occubuit, patet ex dictis in casu 41. ubi examinavimus, an in mortali notorio decedens sit

spoliandus sepulturâ Ecclesiasticâ. Id solùm addimus, quòd communiter Authores teneant, non esse spoliandum sepulturâ etiam in notorio peccato defunctum, si ante mortem qualecunque demum etiam levissimum signum pœnitentiæ ediderit: atqui tale à nostro occiso fuit editum, cum dicatur, invocasse sanctissima tria nomina JESU, Maria, Joseph.

Dices. Etiam si sepulturâ non sit spoliandus ob excommunicationem, neque ob decessum in mortali notorio, excludendus tamen è loco sacro erit, quia in loco ipsius duelli occubuit, sacri autem Canones statuunt, ut si in ipso conflictu duellantes decesserint, careant Ecclesiasticâ sepulturâ: atqui id contigit: ergo &c. Neque excusantur ex eo, quòd ignari hujus Canonis forsitan fuerint. Ratio est, quia ad incurrandam censuram requiritur quidem, ut hujus aliquis fuerit conscius, cum aliàs contumax esse nequeat; non autem hæc ipsa scientia est necessaria, ut incurrantur aliæ pœnæ.

Sed contra est, solùm puniuntur carentia sepulturæ Ecclesiasticæ,

sticæ, qui in ipso conflictu, & duello decesserint: atqui noster occisus occubuit ex vulnere inflicto post finitum duellum, cum gladium in vaginam vellet recondere: ergo cum leges pœnales sint strictè sumendæ, licèt in loco conflictûs decesserit, quia tamen non in ipso, sed post duellum vulneratus decessit, hic casus non continetur sub illa lege pœnali.

§. III.

Resolvitur tertium

Quæsitum.

An quidam Religiosi ab hac excommunicatione absolvere duellantes possint?

17 **S**I Decretum Tridentini expendamus, excommunicatio in duellantes lata, nequaquam reservata fuit, Pii autem IV. Bulla reservavit quidem, sed comprehendit duntaxat duella publica. Denique, an Gregorius XIII. reservaverit, vel non, nonnulli dubitant: negat Sanchezius: affirmat ex opposito Navarrus *conf. de purg. vulg.*

quidquid autem sit de Bulla Gregorii, Clemens VIII. in sua constitutione excommunicationem à Gregorio in duellantes factam Sedi Pontificiæ reservat, ut duellans prætextu quarumcunque facultatum, & indultorum, quibusvis personis tam Ecclesiasticis, cujuscunque Ordinis &c. quàm laicis non possit ab ea absolvi, nisi à Papa. Hinc Sanchez *l. 2. moral. cap. 39. num. 27.* defendit, nullum Religiosum virtute suorum privilegiorum concedentium omnes casus Papæ ab illa posse absolvere: interea tamen concedit Episcopo ab illa absolvendi potestatem, si delictum occultum sit, & ad forum contentiosum non deductum, & quidem, ut asserit Sanchezius ex virtute Tridentini *Sess. 24. c. 6. de Reform.* rationem hujus ultimi dat, qui motus iste proprius Clementis non abrogavit Tridentini Decretum, eò quòd hujus nullam mentionem faciat.

Ex opposito Religiosis saltem 18 in Germania nostra habentibus potestatem absolvendi à Papæ reservatis facultatem ab hac excommunicatione concedunt Filii-

liucius tom. 2. tract. 29. c. 8. Layman, lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 5. n. 4. citans Dicastillo de Just. lib. 2. T. 1. disp. 10. n. 238. Bona Gratia. V. absolutio. Loth. T. 6. art. 7. Tamburin. de confess. l. 3. c. 7. n. 15. Busenbaum, l. 7. cap. 1. dub. 5.

Ratio id defendendi potest esse. Primò. Quia Paulus Comit. l. 6. moral. q. 17. testatur cum Valerio Reginald in praxi volum. posteriore lib. 21. n. 83. Filiucius tom. 1. tract. 15. de censuris in particulari, c. 5. n. 106. Clementem VIII. ita declarasse, exceptos tamen esse Italos. Insuper Bonacina tom. 3. disp. 2. q. 3. p. 48. n. 40. ait, Cardinalium congregationem declarasse hanc clausulam non procedere, nisi pro Italia.

Secunda ratio est, quia ex testimonio Laymani Clementina Constitutio, quæ incipit: *illius vices*. quoad hoc punctum non fuit recepta in nostra Germania.

Tertia clausula derogatoria Clementis est solummodo generalis: atqui clausula generalis non derogat privilegiis specialibus: ergo constitutio Clementina non derogat privilegiis specialibus: atqui nonnulli Religio-

si, ut nostri habent ex privilegio speciali potestatem absolventi à Papæ reservatis omnibus: ergo isti non fuit derogatum: habetur autem hoc privilegium in compendio privilegiorum Societati concessum à Paulo III. & à decem subsequentibus Pontificibus confirmatum. Sed taliter concessum, & sæpius confirmatum privilegium est utique speciale: ergo &c. quæ omnia confirmantur auctoritate Cherubini, cum in compendio Bullarum tom. 1. fol. 78. & 133. affirmat, confirmatis privilegiis non derogari per generalem derogationem.

Quartum fundamentum desumitur ex verbis formalibus hujus derogatoriæ clausulæ: Pontifex enim asserit, non posse ab illa duellantes absolvi prætextu, quarumvis facultatum, & indulgentiarum: ergo habentes veram facultatem possunt absolvere. Probatur consequ. qui virtute veri privilegii absolvent, non absolvent tantum ex prætextu, quia tantum ficta jam abolita privilegia, aut putatitia habentes ex prætextu privilegiorum absolvent.

Ex

Ex his igitur fundamentis optime inferimus saltem probabilius esse competere nostris facultatem, qua proin uti tuto possumus. Communis enim opi-

nio tenet Ecclesiam supplere defectum jurisdictionis, casu quo hac aliquis quidem careat, probabile tamen fundamentum habeat, sibi eam competere.



Casus XLIII.

De Scandalo.

Petrus, cum sciret Cajum ad committendum certum peccatum jam esse plene determinatum, ut ab isto eundem averteret, efficit, ut aliud illo omisso committat.

Quæ. Utrum in hoc casu dederit scandalum?

§. I.

Synopsis.

Quædam prænotanda.

1. Varii in hac materia occurrere casus possunt.
2. Minus malum potest esse non contentum in majore.

3. Potest alter ad utrumque jam esse determinatus.

4. Potest alter jam esse determinatus ad utrumque malum eisdem inferendum.

5. Potest alter nondum esse determinatus, utrum huic vel illi malum inferat.

§. II.

Sequuntur Conclusiones.

6. Nunquam licet alterum consilio, aut jussione expressè, vel tacitè ad peccandum inducere.
7. Non erit licitum suadere minus malum, si à majore aliter abduci quis poterit.

Q q q

8. Vo-